



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

44. Quidam Confessarius ex negligentia culpabili non interrogavit
pœnitentem de circumstantia necessaria ad confessionis integritatem,
quæritur, an teneatur monere pœnitentem de defectu commisso? Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

Quæ hic est
infra Ref.
165 §. in Ref.
43.

plura super hac materia in tertia huius Operis Parte
Tract. 4. de Sacram. Refol. 67.

RESOL. XLIII.

An Confessarius, qui incipit audire Confessionem in peccato mortali, sed postea ante absolutionem elicit actum contritionis, teneatur postea, quando confitetur, explicare se incepisse illam confessionem in statu peccati mortalis? Ex part. 1. tract. 7. Ref. 47.

Sup. hac doctrina lege supra in tr. 1. ex Ref. 11. §. 2. prope finem, vers. Notat etiam, & recitantur in alio §. eius not. & in tr. 4. tr. 8. Ref. 44. à lin. 2.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Possueinus de offic. Curati, cap. 45. numer. 41. qui citat Suarez in 3. part. disp. 28. sect. 1. num. 2.

2. Et hæc opinio est satis probabilis: sed contrariam probabilem etiam esse existimo. Dico igitur, Confessarium licet sit in peccato mortali, dum à principio audit Confessionem, non peccare mortaliter, si habeat propositum penitendi, antequam absoluat. Et ita docet Henriquez lib. 6. cap. 18. num. 6. in Glossa, littera P. Et ratio est: quia tunc Sacerdos peccat mortaliter, quando administrat Sacramentum in peccato mortali: sed in tali casu, quando Sacerdos conficit Sacramentum, iam per actum contritionis elicitum est in gratia: ergo, &c.

RESOL. XLIV.

Quidam Confessarius ex negligentia culpabilis non interrogauit penitentem de circumstantia necessaria ad confessionis integritatem: quaritur, an teneatur monere penitentem de defectu commisso? Et quid, si defectus huiusmodi esset coniunctus cum damno tertij, vel ipsius penitentis? Et notatur pro consolatione Confessariorum, quod omittere aliquam interrogationem necessariam per inadvertentiam aut oblivionem non erit peccatum mortale? Ex part. 2. tractat. 15. & Miscell. 1. Refol. 7.

Quoad hoc infra in tr. 8. lege laudat doctrinam Ref. 53. 44. §. 56 & signanter supra in tr. 4. ex Ref. 1 §. sed hæc à medio, vers. notat autem sed lege predictam §. per rorum, & si placet, vide totam Ref. & alias Ref. & §. eius not. & non pigebit.

§. 1. **R**espondeo Antonium Fernandez in Exam. Theol. moral. p. 4. c. 5. §. 11. n. 3. affirmatiuam sententiam docere, putat enim hunc defectum esse virgentem causam, obligantem confessarium ad peccandum à confidente facultatem, vt illum moneat de re necessaria circa factam confessionem. Ac proinde si monitio absque scandalo fieri potest, tenetur talis confessarius penitentem monere, dummodo illi non adueniat graue detrimentum.

2. Sed Vincentius Filliucius ex Societate Iesu, in suis eruditis quæstionibus moralibus, quas nuper edidit, tom. 1. tr. 3. cap. 12. qu. 374. & ibid. in instructione pro confessionibus excipiendis, c. 4. contrarium docet. Et enim confessarius, duplici de causa potest male absolueret. Primò, quia inualidè, non habendo intentionem, vel iurisdictionem, vel cum alio defectu, circa ipsam substantiam confessionis. Secundò, quia cum peccato, sed validè. In primo casu tenetur confessarius, prout supra ait Fernandez, & communiter Doctores, petere licentiam, & admonere penitentem. In secundò casu, regulariter ad nihil tenetur; præterquam ad dolorem de peccato facto. Ratio est, quia penitens non tenetur illam confessionem iterare, sed ad summum explicare circumstantiam illam, quando rescuerit se ad id fuisse obligatum. Hæc ille. Quam sententiam limitat nisi defectus eiusmodi esset coniunctus cum damno tertij, vt quia penitens retinebat alienum; tunc tenetur Sacerdos eum reuo-

care, & admonere, quando positivè contrarium dixisset, nempe eum non teneri ad restitutionem: quando autem tantum tacuisset, non teneretur; sed de hoc alibi.

3. Ex hac sententia Filliucij apparet, tunc confessarium teneri admonere penitentem, quando defectus veratur circa substantiam, & validitatem Sacramenti, non est in præiudicium tertij, vel ipsius penitentis, relinquendo illum, videlicet in occasione proxima peccandi; secus autem si absolutio fuit valida, sed ob ignorantiam cum peccato à confessario collata, non faciendò videlicet explicare aliquam circumstantiam necessariam, vel numerum peccatorum, nam in hoc casu sufficit, ait Filliucius, confessarium penitere. Et ita etiam tenet Nugn. in addit. ad 3. part. to. 2. quæst. 8. art. 3. dub. 5. fol. mibi 275. & Reginaldus to. 1. lib. 8. cap. 3. sect. 2. num. 31.

4. Notandum est tamen, pro consolatione confessariorum, quòd omittere aliquam interrogationem necessariam per inadvertentiam, aut oblivionem, non erit peccatum mortale, vt ex Navarro docet Bases & Valerius in differentis viris que fori, vers. Index, diff. 6. num. 4. Sed circa præsentem quæstionem vide Valq. in 3. p. 20. 4. q. 9. n. 3. dub. 8. Bonacini de Sacram. disp. 3. q. 7. punct. 6. n. 2. Suarez in 3. p. to. 4. disp. 32. sect. 6. Franciscum Ortiz, in sum. c. 24. n. 8. Onuphium opuse. de sigillo, sect. 4. q. 5. §. sequitur secundo. Sotum de reg. & deteg. sacram. membr. 3. q. 4. Nau. c. 26. n. 14. Reginald. ubi supra, & alios.

RESOL. XLV.

An Confessarius, qui statim post confessionem sollicitauit penitentem, & rem habuit cum illa, teneatur hanc circumstantiam confiteri? Et quid, si tale peccatum committitur unico die post confessionem, vel proxime ante illam? Ex part. 4. tr. 5. Ref. 34.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Petrus de Ohageua tract. 2. de Confess. sacram. quæst. 14. n. 14. ubi sic ait: Si forte contingat aliquem Confessarium committere peccatum luxuriae cum aliqua penitente in ipsa confessione, vel proximè ad illam, talis circumstantia esset explicanda in confessione, quia mutat speciem propter iniuriam, & irreuerentiam contra sacramentum Penitentiae commissam. Cum vero tale peccatum committitur unico die post confessionem, non habet eam specialem deformitatem necessariò confitentiam, tum quia non dicitur proximè ad confessionem, tum quia ex confessione minimè contrahitur cognatio spiritualis perpetuò duratura, sicut nascitur ex Baptismi sacramento. Ita ille, & Ludouicus de San Iuan in luce Confess. quæst. 5. de sacram. Penit. art. 12. difficult. 5. & nouissimè doctus Hurtado de sacram. Penitent. disp. 9. diff. 4. §. Quid, in fine.

RESOL. XLVI.

Consultus sum sepius, An Confessarius, qui carnaliter penitentem cognouit, teneatur in confessione exprimere hanc circumstantiam: vel an sufficiat tantum dicere se copulam cum coniugata, vel filiam habuisse? Ex part. 2. tractat. 17. & Miscell. 3. Ref. 11.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuam sententiam tenuisse Armillam ver. circumstantia, n. 13. Vivaldum in suo Candelabro 3. p. 1. de confess. n. 50 Lopez p. 1. infra.